

DISSERTATIO EPISTOLICA

DE

TANFANA

MARSORVM

POPVLI GERMANIAE



DEA,

QVA

VIRO

PRAECELLENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

M. JOANNI RVPPRECHT

RECTORIS SCHOLAE NORIMBERGENSIS AD D.

LAVRENTII PROVINCIAM

LAETVS GRATVLATVR

M. JOANNES CONRADVS HARREPETER


REV. MIN. NOR. CANDIDATVS.

VIRO · MAGNIF. ET EXCELLENTISSIMO
DOM. JOH. ANDR. MICHAEL NAGEL
se cum claris. Auctore de meliori comm.
M. Joh. Rupprecht, Schol. Laur.

C. PLINIVS SECVNDVS,

In Historiae naturalis Praefatione.

Res ardua, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, et naturae suae omnia. Itaque etiam non assecutis, voluisse, abunde pulchrum atque magnificum est.



§. I.



Diu multumque desideravi, Vir Praecellentissime atque Doctissime, qua ratione gratum in Te animum declarare possem meum. Tandem mihi arridet occasio longe optata, quum Rectoris Scholae ad D. Laurentii Norimbergensis provinciam obis. Gratulor novos ho-

 nores.

nores. Liceat mihi in testimonium reverentiae in Te meae nonnulla de Tanfana Marsorum, Populi Germaniae, Dea, breviffimis dicere verbis. TACITVS, Historicorum certe primus, occasionem huiusce Schediasmatis mihi praebuit: TACITVS iste, quem prae ceteris Scriptoribus maximi facio, quemque verso manu diurna, nocturnaque. Quis enim est in Graecis aut Latinis, qui prudentiae omnigenae laude isti sese comparet? Singulae paginae, singulae lineae, dogmata, consilia, monita sunt. Quis illo verius narrat, aut brevius? Quis narrando magis docet? In moribus quid est, quod non tangat; in affectibus, quod non revelet? Nec enim Historia solum est, sed velut hortus et seminarium praeceptorum. Rectissime certe doctissimus olim GABRIEL NAVDAEVS in Bibliographia Politica de Tacito iudicavit: *Si pueri, ait, olim Juris Civilis studium auspicaturi, Leges duodecim Tabularum, tanquam necessarium, ediscebant; cur non et Politici, rei publicae clavum gubernaturi, huius Auctoris scripta memoriae penitus commendabunt, a quibus exempla simul atque oracula petant, ipsius rei publicae bene et feliciter administrandae.* Haecce addam. Non solum Politicis, verum omnibus et singulis liberalium Artium cultoribus Taciti lectio curae cordique esse debet. Sed ad rem veniamus.

§. II.



§. II.

In lectione Taciti locus iste Annalium lib. I. cap. 51., in quo Tanfanae, Marsorum, Populi Germaniae, Deae, cuius Templum milites *Germanici* solo aequarunt, Auctor noster mentionem facit, semper obscurus mihi fuit, et altis involutus tenebris. Locus ipse sic sonat: Profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus Templum, quod Tanfanae vocabant, solo aequantur. Omnes evolvi Taciti Commentatores, omnes legi, relegique; nihilo tamen minus semper me latuit, qualis Tanfana Veterum Germanorum fuerit Dea. Multa quidem Viri alias eruditissimi olim hac de re disputarunt; at frustra lucem in scriptis eorum quaeres. Quam ob caussam periculum faciam locum Auctoris nostri e tenebris eruere. Quumque horas subsecivas meas Historiae Patriae, et per pronam consequentiam Antiquitatibus Germanicis sacravi; non inutile fore, iudicavi, Primitias hasce Exercitationum, Observationumque Antiquitatum Germanicarum, Deo volente, occasione data, publici iuris faciendarum, Tanfanae, Deae Marsorum, Populi Germaniae, dare.

§. III.

Omnes et singuli Taciti commentatores inter sese

 dissen-



dissentiunt, quum de Tansana, Marsorum Dea disputant. Nonnulli, et maximus illorum est numerus, nonnulli, dico, existimant, Tansanam et Mercurium, aut sicuti alibi eum vocant, Hermes, Wodan, Gwodan, Godan, unam eandemque Divinitatem priscis fuisse Germanis. Alii derivant de Tanne, Tänne, arbore, et Fanum, quod et significat Lucum quendam sacratum. Sed omnes hi viri alias eruditissimi sese fallunt. Et quisnam omnes Eruditorum opiniones enumerare poterit. Primam supra allatam coniecturam omnibus viribus defendere conatus est, Vir olim doctissimus, PHILIPPVS CLVVERIVS, in libro, cui titulus est, *Germaniae Antiquae Descriptio.* Existimat nimirum Cluverius, quum dicti Taciti Annalium libro I. mentionem facit, Tansanam nullo prorsus modo differre de Mercurio; sed potius affirmat, Deam nostram et Mercurium priscis fuisse Germanis unam eandemque Divinitatem. Deinde Tansanam et Baduhennam unum idemque Numen esse credit. Ipsa Cluverii verba addam. Editio Elzeviriana mihi ad manus est, Lugduni Batavorum 1631. THEVTH, *dicit, pag.* 181. THEVTH *olim significabat* Principium, *et* Tansana *priscis erat Germanis* TH' ANFANG, *quod nihil aliud, quam* Principium *notat. Huic sententiae, pergit, uti ego quoque acce-*

derem, movit, five Dei, five Deae Nomen, *eidem Auctori Annalium libro IV. cap. LXXIV. memoratum, in Frisiorum gente: Mox compertum, inquit, a transfugis, nongentos Romanorum apud* LVCVM, *quem* Baduhennae *vocant, pugna in posterum extracta, confectos. Hic quid* Baduhennae *vocabulum significat, coniecerint ii, quibus lingua Arabica cognita.* Arabes *quidem* Principium *five* Initium *dicunt* Bedon. Sed nullo prorsus modo video, cur nos oporteat adire Arabes ad explicandam vocem Tanfana, quum ipsa lingua Germanica radicem vocis Tanfana nobis praebet. Quod potest fieri per pauca, non debet fieri per plura. Deinde perspicere mihi non licet, vocem Tanfana, relationem vel cognationem ullam habere cum voce Baduhenna. Nulla certe ratione Cluverius unquam probare potuisset, Tacitum aliqualem posuisse relationem inter Tanfanam et Baduhennam. Ad JVSTVM LIPSIVM me converto. Vir olim celeberrimus putabat, Tanfanae Templum, locum fuisse sacrum, in quo Germani prisci Ignem adoraverunt. Haecce enim in editione Operum Taciti, quam dedit, Antvverpiae 1617. animadvertit: (Templum quod Tanfanae) *Quis Deus, quae Dea? Quidam ἐτυμολογίζουσι quasi esset* Taenfanck, *quod lingua nostra* Principium

Rerum.

Rerum. *At Britanni prisci, sua lingua* Tan Ignem *vocarunt.* Adeamus PAVLVM HACHENBERGIVM in suppellectile Dissertationum, cui Titulus est, Germania Media, Jenae 1686. Vir olim doctissimus credit Tanfanam Deam nihil aliud fuisse, quam Luci abiegni Patronum aut Dominum. Derivat enim vocem Tanfana, a Tan, vel Than, abiete, et prisca Gotho-Teutonica voce Fahna, vel Fan, Domino aut Numine. Ipsissima addam verba. Sic enim in Dissertatione VIII. de Religione gentili veterum Germanorum, pag. 281. ait: *Quercum excipiebat Abies, si vera est hominum doctissimorum coniectura, qui celeberrimum illud Germanorum Numen* Tanfanam, *cuius Tacitus in I. Ann. meminit, derivandum a* Tan, *vel* Than, abiete, *et prisca Gotho-Teutonica voce* Fahna, *vel* Fan, Domino *aut* Numine, *arbitrantur. Adeo ut* Tanfana *nihil aliud fuerit, quam* Luci abiegni Patronus *aut* Dominus. Haecce sufficiant. Nunc ad explicandam thesin meam progrediar.

§. IV.

Quod ad Etymologiam vocis attinet, duabus Tanfana consistit vocibus. Nimirum vox Tanfana composita est ex antiquo Tan et Fana. Teene apud Germanos,

Tan

Tan apud Anglo-Saxones, Tain, Tains, Teins, Taine, Teen apud Vlfilam, significasse Ramum, Virgulam, Surculum, certum probatumque est. Tein semper in vetustis *Monumentis Runicis* eundem habet significatum. Vnicum saltem locum in medium proferam, ad fulcienda ea, quae dixi. Affirmavi Tains, Taine, in Scriptoribus Gothicis semper significasse Ramum, Virgulam, Surculum. Auctor mihi est Vlfilas in libro, cui titulus est: D. N. JEsu Christi SS. Evangelia ab Vlfila Gothorum in Moesia Episcopo circa annum a Nato Christo CCCLX. Ex Graeco Gothice translata, nunc cum Parallelis versionibus, Suevo-Gothica, Norraena seu Islandica, et Vulgata Latina edita, Stockholmiae 1671. Locus vero ad probandam thesin meam necessarius occurrit Joannis capite 15. versu 2. et sic sonat: All taine in mis unbairandane akran goth. usnimith ita. jah all akran bairandane gahraineith ita. ei managizo akran bairaina. Graece sic sonat: Πᾶν κλῆμα ἐν ἐμοὶ μὴ φέρον καρπὸν, αἴρει αὐτὸ καὶ πᾶν τὸ καρπὸν φέρον, καθαίρει αὐτὸ, ἵνα πλείονα καρπὸν φέρῃ. Extra omnem certe dubitationis aleam positum est, vocem Taine hoc in loco significare Ramum, Surculum. Sic enim multis in locis, quos hic enumerare, supervacuum credo, invenitur, ut et vox Teen, Ramulus, Vir-

 gula,



gula, a Tánia, extendere. Placet quoque ea adiicere, quae olim FRANCISCVS JVNIVS in Glossario Gothico annotavit. Tains, *dicit, significat* Palmes, Virga, Virgula, *maxime tamen* Vitiginea, *quae* Veinatains *dicitur* Joannis, 15, 4. *Belgis quoque* teenen, *vel* tienen, *sunt* Vimina. *Fortasse a* τείνω, tendo, extendo; *quod ea pro lubitu quaqua versus flectere atque extendere soleamus. Graecis certe* τένος, *vel* τέννος *dicitur, quicquid in longum ducitur atque extenditur; unde et* Fascias *et* Laqueos *proprie sic appellarunt.* Τένος *et* τόνος *idem sunt, ut* γέμος *et* γομος, *et similia. Atque inde* τένια *et* τενίδιον, Parva fascia. *Occurrit et* Tenus *apud* PLAVTVM *pro* Vinculo *vel* Laqueo, *quando apud* NONIVM MARCELLVM *ait:*

Nunc ab transenna turdus lumbricum petit:
Pendebit hodie pulcre, ita intendi Tenus.

MARCELLVS Laqueum *interpretatur, et dictum a* Tendicula *dicit. Sed purum putumque Graecum est* τὸ τένος *vel* τέννος. *Hinc Tenues etiam Virgulas ac Festucas dixere* Tenos, *ut* φιλύρια *Graeci.* AELIANVS; Περσῶν βασιλεὺς ὁδοιπορῶν, ἵνα μὴ ἀλύῃ, φιλύριον εἶχε καὶ μαχαίριον ἵνα ξέῃ τοῦτο. *quo in loco* φιλύριον *est* Tenus. *Vnde et* minutas *ac* tenues *de Virga praecisa* Tesseras, *quibus ad* sortiendum *utebantur,*

Tenos

Tenos *vocabant; quod occurrit in antiquis Legibus Frisonum. Nimirum* Tenus *est* ξυλήφιον, καρφίον, *id est*, Sorticula lignea *et* Festuca. Sorticulae Buxeae *mentio fit in libris Agrimensorum. Hinc* κάρφια βάλλειν *pro* Sortes ducere, *occurrit apud Constantinum in libro de Imperio. Ac de isthoc sortium ducendarum genere accipiendum, quod vulgo* Curtam Festucam *appellamus. Vide Salmasium in Tertullianum de Pallio, ut et Vossium libro Secundo de Vitiis serm. cap. 18. Anglo-Saxonibus* Tan *est* Sors. Tan sendan, sortem mittere. Tanhlyta *vel* Tanhlytere, sortilegus. Insuper Lex quaedam Frisionum, Germaniae populi, de qua infra dicemus, maius sententiae meae addit robur. Nimirum Lex ista nos edocet, populum huncce, licet conversum, omni tamen tempore conservasse Divinationes et sortilegia. Quumque harum Divinationum mentionem facit, et modum explicare vult, nos instruit, populum huncce in sortibus educendis usum fuisse Talis de Virga praecisis, quos Tenos vocarunt, et Lex ista Tenos hosce nominat Sortes. Sed haecce paulo post altius rimari cogitamus. Fan seu Fana in Lingua Gothica significat Dominus, Domina. Tali vox haecce significatione gaudet apud Vlfilam. Sic nempe occurrit Lucae 1, 28. Fan mith-

 thus,



thus, Dominus tecum. Mikileid faivala meina Fan, magnificat anima mea Dominum, Lucae 1, 46. Managai quithand in gainama daga Fan, Fan, Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, Matth. 7, 22. Fan Goth Vnfar, Fanains, Dominus, Deus noster, Dominus unus est, Marc. 12, 29. Fan, Domine, Matth. 8, 2, et 25. a Graeco πάν, unde Latinum Faunus, an potius a φάνης, quod Nomen erat Solis, Macrobius. Et sic vocatur apud *Orpheum* Amor, quod ex Chao primus apparuit. φαναῖος Ζεύς, splendidus *Jupiter*. Idemque cognomen *Apollinis* apud *Chios*, teste *Hesychio*. Jam notum est sub nomine Oden a Gothis Solem, qui idem *Apollo*, antiquitus cultum. Mirum itaque non est, si Deum suum nomine Graec. πάν vel φάνης, Fan honorarunt. Communia enim cum Graecis ipsis sacra fuerunt. Gothi Septentrionales Christianismum amplexi, nomen hoc in abominationem verterunt, *Diabolum* ita vocantes. Positis hisce nullum plane superest dubium, vocem Tanfana dicere velle, Surculorum Domina, sive *Divinitas ista*, quae *Sortibus* per *Surculos*, *Virgulas*, aut *Talos institutis* praefuit. Id quod tam ex TACITO, quam ex Lege Frisionum, Germaniae populi, probare nitar.

§. V.

In legendo TACITO de Moribus Germanorum locus iste mihi in manus venit, ubi TACITVS de Auspiciis et Sortibus veterum Germanorum loquitur. Locus ipse Capite X. sic sonat: Auspicia Sortesque, ut qui maxime, observant. Sortium consuetudo simplex. VIRGAM frugiferae arbori decisam in SVRCVLOS amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt: mox si publice consulatur, Sacerdos civitatis; sin privatim, ipse paterfamilias precatus Deos, coelumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt; nulla de eadem re in eundem diem consultatio. Sin permissum; auspiciorum adhuc fides exigitur &c. Locum huncce legi, relegi, deciesque repetii, et demum mea ex sententia inveni, Tacitum loqui velle de Cultu isto Veterum Germanorum religioso, quo et eventum gravium bellorum explorare, et culpam vel innocentiam cuiusdam rei ex sortibus per Virgas institutis cognoscere crediderunt, cui Tanfana praefuit. Mentionem Auctor noster facit *Virgae frugiferae arbori decisae*, quam in Surculos

amputarunt. Pergit, Germanos Veteres Surculos istos notis quibusdam discrevisse, et super candidam vestem temere ac fortuito sparsisse: si publice consulebatur, Sacerdotem Civitatis: sin privatim, ipsum patrem familias, precatum Deos, coelumque suspicientem, ter singulos tulisse, sublatos, secundum impressam ante notam interpretatum fuisse. Ceterum antiquum in sortibus ducendis morem fuisse, ex Virgis praecisis vaticinari, idque passim apud Paganos usitatum fuisse, omnes Graecarum Litterarum gnari satis superque sciunt. Vnicum saltem locum adducam. Sic iam *Scholiastes Nicandri* in *Theriacis* ad illum versum animadvertit: (*Καὶ μυρίκης λάζοιο νέον.*) *Μάγοι καὶ Σκύθαι μυρικίνῳ μαντεύονται ξύλῳ. Καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς τόποις ῥάβδοις μαντεύονται.* Harum divinationum etiam mentionem facit *Ammianus Marcellinus*, Libro XXXI. *Rerum Gestarum*, ubi de Scytharum divinatione loquitur. Ipsissima addam verba. *Futura, ait, miro praesagiunt modo: nam rectiores Virgas vimineas colligentes, easque cum incantamentis quibusdam secretis praestituto tempore discernentes, aperte quid portendatur, norunt.* Celeberrimus olim FRIDERICVS LINDENBROGIVS in Observationibus suis in Ammianum Marcellinum, editioni Valesii annexis, addit locum Herodoti, in quo hanc Scytharum divinationem ita descri-

bit, libro IV. p. 177. Μάντιες ται Σκυθέων εἰσὶ πολλοί, οἳ μαντεύονται ῥάβδοισι ἰτεΐῃσι πολλῇσι ὧδε. ἐπεὰν φακέλους ῥάβδων μεγάλους ἐνείκωνται, θέντες χαμαὶ διεξειλίσσουσι αὐτούς, καὶ ἐπὶ μίαν ἑκάστην ῥάβδον τιθέντες, θεσπίζουσι ἅμα τε λέγοντες ταῦτα, συνειλέουσι τὰς ῥάβδους ὀπίσω, καὶ αὖτις κατὰ μίαν συντιθεῖσι, αὕτη μέντοι ἡ μαντικὴ πατρωΐη σφι ἐστί. Dantur, qui sortes hasce per Virgas institutas a *Virga Aaronis* dimanasse putant. At sententiae huiusce sectatores eo magis sese fallunt, quum ista divinandi e Virgis consuetudo apud Asiaticas, Europaeasque gentes longe Germanorum divinandi morem praecessit. Sic enim HACHENBERGIVS rectissime annotat in *Dissertatione III. Germaniae Mediae*, cui titulus; de *Legibus Veterum Germanorum* pag. 93. *Non sequar*, *ait, eorum opinionem, qui totam illam sortium rationem a Virga Aaronis, cuius S. Scriptura meminit, dimanasse in nostras regiones putant: quum vetustissima et a primis post diluvium ducta temporibus illa divinandi e Virgis consuetudo apud Asiaticas Europaeasque gentes viguerit.* Operae certe pretium erit, ea repetere, quae doctissimus olim ELIAS SCHEDIVS, in libro de DIIS Germanis annotavit. Editio Elzeviriana mihi ad manus est, Amstelodami 1648. Occasione loci Taciti, hoc in paragrapho dicti, ubi ῥαβδομαντείαν exponit, haecce capite XLIV. pagina 435. addit: *De Rugianis*

idem

idem scribit Saxo Gram. *l. XIV. Dan. Rugiani, inquit, Balthici maris accolae, tribus ligni particulis, parte altera albis, altera nigris, in gremium sortium loco coniectis, candidis prospera, furvis adversa signabant. Legem Frisionum, cuius mentionem quoque facit, hic supergredior. Magi, pergit, praeterea et Scythae, teste* Natali Comite *libro IV. Mythologiae, per Lignum Myricae vaticinabantur, et per alias multas arbustorum Virgas, quod genus Vaticinii a Medis etiam servari solitum, scriptum fuit a Dione libro I. tertiae compositionis: sicuti Iamiades per pelles caesarum victimarum, ignibus impositarum, si recte inciderentur: cum alias astragalis super mensis impositis Deorum vaticinari mos fuisset.* Ῥαβδομαντέια *haec admodum familiaris erat Orientalibus, ut et ex Sacro Codice patet.* Ezechielis *capite XXI. v. 21. Stetit Rex Babyloniae in bivio: capite scilicet duarum viarum, divinationem quaerens: expolivit tela et interrogavit idola, atque inspexit jecur. Seniores ita vertunt:* ςήσηται βασιλεὺς Βαβυλῶνος ἐπὶ τὴν ἀρχάιαν ὁδὸν, ἐπ' ἀρχῆς τῶν δύο ὁδῶν. τȣ̃ μαντέυσασθαι μαντέιαν, τȣ̃ ἀναβρᾶσαι ῥάβδον, καὶ ἐπερωτῆσαι ἐν τοῖς γλυπτοῖς, *id est, stetit Rex Babylonis super antiquam viam, in principio duarum viarum, ut oraculum petat, ut* pacillum *fervefaciat, et interroget sculptilia. Ubi* τὸ ῥάβδον *ad* ῥαβδομαντέιαν *refertur, quae Orientalibus in usu erat, ut de Medis scribit Dio et Nicander in Theriacis, ut Scholiastes*

eius

eius interpretatur. Τὸ *ἀναβράσαι autem*, fervefacio *significat, quia concutiendo sortes, ut miscerentur, ne pro lubitu uti imposita erunt, exirent, et sic fallerent consultantes*, fervebant *quasi, et incalescebant. Et huic opinioni suffragatur versio D. Hieronymi, qui sic scribit: Stabit in compito, et ritu Gentis suae Oraculum consulet, ut mittat sagittas in pharetram, et commisceat eas inscriptas, seu signatas nominibus singulorum, ut videat, cujus sagitta exeat, et quam prius Civitatem debeat expugnare. Hinc Deus T. O. M. apud* Hoseam *capite IX. (IV.) versu 12. hoc sortilegii genus exprobrat Judaeis: Populus meus* Lignum *suum consultat, et* Baculus *eius nunciat ei. Et de Baculorum seu Virgarum Sortibus intelligunt* Praeceptum Negativum LII. R. MOSES MIKOTZI, et P. RICCIVS. Superfluum puto, ea adducere, quae ADAMVS BREMENSIS narrat, Capite VI. Historiae Ecclesiasticae, quia nihil aliud agit, quam ipsissima TACITI verba, Capite X. supra allata, repetere.

§. VI.

Ad Legem istam Frisionum progredior, quae majorem huic rei affundet lucem. Et certe, ut puto, Lex ista nos convincet, Deam istam, quae Sortibus per Vir-



gas institutis praefuit, nullam aliam fuisse, quam Tanfanam. Adeamus Legem ipsam. Invenitur in Codice Legum Antiquarum, quem FRIDERICVS LINDENBROGIVS edidit, Francofurti, 1613. Inter Leges istas Frisionum, etiam haec reperitur, pag. 496.

Titulus XIV.

De homine in Turba occiso.

Ipsissima verba repetam, ut ut habentur in Codice. *Si homo quislibet in seditione ac turba populi fuerit interfectus, nec homicida poterit inveniri, propter multitudinem eorum, qui aderant, licet ei, qui compositionem ipsius quaerere vult, de homicidio usque ad septem homines interpellare, et unicuique eorum crimen homicidii obiicere, et debet unusquisque eorum sua duodecima manu, obiecti Criminis se purificare sacramento. Tunc ducendi sunt ad Basilicam, et Sortes super altare mittendae, vel si iuxta Ecclesiam fieri non potuerit, super reliquias Sanctorum, quae Sortes tales esse debent.* Duo Tali de Virga praecisi, *quos* Tenos *vocant, quorum unus signo crucis dinoscatur, alius purus dimittitur: et lana munda obvoluti, super altare, seu reliquias mittuntur, et Presbyter si adfuerit, vel si Presbyter deest, Puer quilibet innocens unum de ipsis sortibus de altari tollere debet: et interim Deus exorandus, si illi septem, qui de homicidio commisso iura-*

iuraverunt, verum iurassent evidenti signo ostendat. Si illum, qui Cruce signatus est, sustulerit, innocentes erunt, qui iuraverunt: sin vero alterum sustulit, tunc unusquisque illorum septem faciat suam Sortem, *id est* Tenum de Virga, *et signet signo suo, ut eum tam ille, quam ceteri, qui circumstant, cognoscere possint: et obvolvantur lana munda, et altari seu reliquiis imponantur. Et Presbyter si adfuerit, si vero non, ut superius puer innocens, unumquemque eorum singillatim de altari tollat, et ei, qui suam sortem esse cognoverit, rogat. Cuius sortem extremam esse contigerit, ille homicidii compositionem persolvere cogatur, ceteris, quorum Sortes prius levatae sunt, absolutis.* Lex haecce primo nos edocet, Frisiones, etiamsi e tenebris Paganismi ad Lucem Christianismi revocatos, semper tamen observasse *Sortes istas, Divinationesque*, de quibus loquitur Tacitus in loco supra recensito. Deinde magnum ista Lex addit robur, sententiae, opinioni, explicationique nostrae, quam hoc in Schediasmate probare conamur. Et certe quilibet exacte instituta perquisitione loci huiusce videbit, maxima probabilitate, immo aliqua non prorsus contemnenda certitudine dici, affirmarique posse, Tanfanam, Deam Sortium per Virgas institutarum fuisse. Lex ista opinionem nostram suffulciet. Duo in ista Lege potissimum observanda sunt. Primo. Lex ista nos

 edo-

edocet, Frisiones in Sortibus ducendis usos fuisse Talis de Virga praecisis, quos Tenos vocarunt. Deinde, in eadem Lege phrasis occurrit: Faciat suam Sortem, id est, Tenum. In Paragrapho IV. Dissertationis meae probavi vocem Tanfana compositam esse ex antiquo Tan, Tain, Tains, Teins, Taine, Teen. Exposui voces hasce significare Ramum, Virgam, Surculum. Ad probandam significationem harum vocum adduxi locum Vlfilae, Monumenta Vetusta Runica. Mea igitur ex sententia nullus dubitabit, maxima probabilitate, plus dicam, magna certitudine dici, affirmarique posse, Tanfanam, Surculorum Dominam, aut Deam Sortium per Virgas aut Surculos ducendarum fuisse. Sed fortasse quidam mihi obiiciet, nullo modo et in Loco Taciti supra recensito, et in Lege Frisionum mentionem fieri vocum Tan, Tain, Tains, Teins, Taine vel Teen. Respondeo, negari non posse, nullam de hisce vocibus occurrere et in Loco Taciti, et in Lege Frisionum. Sed hoc non impedit, quo minus sensus harum vocum semper in sit voci Tenus. Posita enim re, ponitur etiam nomen rei. Insuper quis nescit, et veteres Romanos, et omnes alios populos, voces, e lingua alius populi quaesitas, et civitate donatas, ad genium linguae suae accommodasse.

Itaque

Itaque nulla certe ratione absurdum puto, Auctores Latinos vocibus de alia gente, alia lingua accersitis, terminationem dedisse latinam. Hoc, ut vidimus, extra omnem dubitationis aleam positum, et luce meridiana clarius est, et Tacitum, et Legem Frisionum idem dicere velle, quod nos in Schediasmate hocce satis superque demonstravimus.

Ad TE redeo, amicissime Rupprecht. Cui enim majori Jure ac Tibi primitias hasce Exercitationum Antiquitatum Germanicarum dare potuissem? Primus enim Germaniam Antiquam mihi delineasti, inque Tacito, Historicorum certe principe, Maiores, virtute claros, monstrasti nostros. Moderator studiorum meorum olim Norimbergae fuisti, meque Liberalium Artium Sacris initiasti. Leucopolis ad Nordgaviam Curae fideique Tuae optimum, quem possidet, thesaurum, iuventutem bonae indolis, credidit. Amore, quo Te semper sum prosecutus, pulsus, Weissenburgum Tecum petii, Teque ibi, per duorum annorum spatium, audivi. Postulabat hoc summa, quae mihi Tecum intercedit familiaritas, atque necessitudo, quae non inconsulto impetu, sed virtutis et benevolentiae Tuae stabilitate nititur: quamque peperit mutuus voluntatum studiorumque consensus, quo nihil



hil mihi in vita iucundius contingere potuit. Nunc Patrios Lares bono omine repetis. Scilicet Norimberga, Patria dulcissima, Perillustrium Scholarum Curatorum favore ac benevolentia, Te hodie Scholae Laurentianae salutat Rectorem. Gratulor Patriae, gratulor Tibi. Patriae, quae Viro profundae eruditionis, dicendi perspicua facundia praedito, optimoque studiosae iuventutis amico, gaudet. Tibi, qui praemia studiorum Tuorum, longe merita, nunc hauris. Ceterum Deum T. M. O. ardentissimis adeo precibus, ut Te in rei publicae litterariae decus, ac ornamentum, studiosae iuventutis commodum, Tuorumque solatium certissimum multos per annos salvum praestet, atque incolumen. Quod superest, Tuo me favori, amorique commendatum ut habeas, etiam atque etiam obsecro, rogo, contendo.

Dabam Parisiis, pridie Kal. Octob.

A. S. R. cIↃIↃ CCLXII.

